



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

**Coninck, Gilles de
Antverpiae, 1623**

Benevolo Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Scripturus de Virtutibus Theologicis cæpi mecum attentius cogitare, qua hîc methòdo commodissimè uterer. Et cum varios, qui de eis nostro ævo scripserunt Auctores peruoluerem, aduerti eos disputationes omnino similes sapius repetendo per ambages sequi, qua compendio poterant assequi. Exemplo sit, dum de fide disputant: inquirunt An actus eius sit supernaturalis? an in solo modo? aut etiam in substantia? An circa idem obiectum formale cum actu naturali versari possit? An aliquem in nobis habitum gignat? An hunc solum diuinitus accipiamus infusum? Aliaq; similia, quæ eadem, dum aut spem aut caritatem explicant, repetunt. Vt igitur hæc, quæ mihi videbantur incommoda, effugerem statui primò disputare de his, quæ tribus his virtutibus, atque adeò omnibus actibus supernaturalibus sunt communia: ac deinde ad ea, quæ singulis sunt præcipua, gradum facere. In quatuor ergo libros hoc opus diuisi. Primo, generatim de Natura actuum supernaturalium: Secundo, de Fide: Tertio, de Spe: Quarto, de Caritate dissero. Rursum cum actus naturalis & supernaturalis in hoc conueniant, quòd uterque possit esse humanus, moralis, liber, bonus; exponendum mihi putavi in quibus hæc consistant, ut quantum id poteram assequi, actuum supernaturalium naturam perfectè explicatam darem. Actionum malitiam, cum ab hac supernaturales penitus sint immunes, solum obiter data occasione attigi. Ob eandem rationem de illorum causis & effectibus, tam physicis, quàm moralibus disputo; quamuis de illis minùs fortè plenè, quàm pro materiæ exigentia: quia à disputatione de gratia, quæ præcipua eorum est causa, quantum vlla ratione potui, toto hoc opere varias ob causas abstinui. Finem his iam imposuissè, nisi quorundam interrogationi putassè occurrèdum. Cur scilicet aliorum secutus exemplum, nihil in secundo libro dicam de numero ac auctoritate librorum Canonorum, de fide habenda Traditionibus ac Concilijs, alijsq; similibus, quæ apud alios in tractatu de fide magnam partem obtinent. Quibus paucis respondeo, mihi iam pridem fuisse persuasum, has difficultates iam nec breuiter pro dignitate, nec paucis eo fructu, qui operæ sit pretium, explicari libris excusis posse. Cum enim de iis tam ab aduersariis, quàm à nostris, & ingentia & plurima conscripta sint volumina, & consequenter innumera propè ab utraque parte pro sua sententia allata sint rationes, & ad has responsiones, harum omnium explicationem paucis conari complecti, est velle oceanum vase concludere. Seligere paucas, quas pro te afferas, aut quibus respondeas, est opus imperfectum dare,

Et calumniandi occasionem, quarentibus hanc obijcere, te scilicet ideo eorum argumenta omisisse, quia iis respondere non poteras. Sin autem omnia velis prosequi, immensum crescet opus, Et quod unius libri iustam magnitudinem excedat. His adde, grandibus illis voluminibus exiguo emolumento contra hereticos agi, ut quae saepe magis bibliothecis ornandis, quam lectorum utilitati seruiant. Nam ea Catholici non nisi pauci, Et fere qui eorum doctrina minus indigent, euoluent: ex hereticis vero soli illi, qui in ijs quaerant, aut quod carpant, aut quo suos errores confirment: ea enim illi soli aspicient, qui verbi Ministri audire cupiunt, quibus non est propositum veritatem querere, sed nostra oppugnare, Et sua plausibiliter auditoribus venditare. Quare utiliter controuersias de fide tractare volentibus putarem paruos libellos conscribendos de ea materia, eaq, ratione ut à populo facile possint Et comparari, Et legi, Et intelligi: Et hoc maxime semper urgeri, quis controuersiarum eiusmodi debeat statui iudex, à quo prouocare non liceat, Et cuius de re, quae in dubium vocatur, sententia ab omnibus clare possit cognosci. quo semel habito facile erit aduersarios certis cancellis conclusos constringere: qui si absuerit, quacumque ratione eos prehenderis, instar anguilla lubrici ex omnibus rationum laqueis erepent: aut verbosa declamatione omnem turbantes disputationis ordinem, tamquam sepia effusa caligine se inuoluent. Ideoque hoc unum argumentum praecipue contra eos in hoc opere tractandum duxi, quod disput. 12. quantum potui, clare, Et ut à rudioribus etiam possit capi, confeci. Hec habui, amice Lector, quorum circa hunc nostrum laborem ac institutum te monendum putavi. Quo ut tuo bono perfruaris, opto.